

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2826

Auteur(s) : Robert de Torigni, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

Genre d'acte : autre

Authenticité : non suspect

Datation : [1154-1186]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Prologue de Robert sur une collection d'extraits de saint Augustin faussement attribuée à Bède.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel : suivie de divers opuscules historiques de cet auteur et de plusieurs religieux de la même abbaye*, le tout publié d'après les manuscrits originaux, Rouen, Le Brument, 1872-1873, 2 vol., t. 2, « Lettres, chartes et pièces diverses de l'administration de Robert de Torigni », n° LXII, p. 342-343.

Dissertation critique

Abbatiat de Robert de Torigni.

Texte établi d'après a

Incipit prologus Roberti, abbatis Sancti Michaelis de periculo maris, contra eos qui dicunt hoc opus super epistolas Pauli a Beda presbitero collectum.

Est quidam liber immense magnitudinis, continens ea que beatus Augustinus in libris sive epistolis suis ex Apostolo sumpta exposuit. Hoc opus a quibusdam vocatur Florus, quia ex diversis opusculis beati Augustini excerptus et quasi defloratus est. A quo autem illud opus collectum et ordinatum sit plurimi dubitant. Quidam autem hoc Bede presbitero ascribunt. Et hoc ideo quia, in fine istorie Anglorum enumerans opuscula sua, inter alia hoc ad verbum posuit : In Apostolum quecumque in opusculis sancti Augustini inveni dicta per ordinem transcribere curavi. Unde et quidam predicta verba et alia nonnulla in eadem historia sibi conexas assumentes, loco prologi, predictae collectioni sententiarum sancti Augustini ponunt, ex eo volentes probare Bedam auctorem hujus operis. Ego autem magis assentior Cassiodoro senatori et monacho, viro undecumque doctissimo, qui antiquitate temporis, ne dicam multiplicitate rerum scientia, utpote consul et apocrisarius Theoderici regis Gothorum, Bedam precedere non dubitandus est, cum et ipsius Bede annotationes in Apostolum ex libris sancti Augustini vulgo habeantur, qui liber totus non adequatur magnitudine medietati solius expositionis epistole ad Romanos que in hoc opere de quo loquimur habetur. Qui autem predictam collectionem ordinavit, Cassiodorus in quodam libro suo de divinis literis ita posuit : Petrus, abbas Tripolitane provincie, sancti Pauli epistolas ex capitulis opusculorum beati Augustini subnotasse narratur, ut per os alienum sui cordis declararet archanum ; que ita locis singulis competenter aptata, ut hoc magis studio beati Augustini credas esse perfectum. Mirum est enim sic alterum ex altero dilucidasse, ut, nulla verborum suorum adjectione permixta, desiderium cordis proprii compleretur. De hoc opere exceptiones subsequentes fecimus, ex majori parte librorum reliquorum beati Augustini flores sententiarum iis adjecimus.